Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 921
Quelle:
Copyright:

His me collectis aspera tela premunt.

In *Augustino* pro *placeant volumina* solus *Tamayus* legit *placeat prudentia.* Idem in *Hieronymo*, in quo pentameter primus omnibus deest, solus *concinit orbis* pro *personat orbis*, ubi Noster *personat orbe.* In *Joh. Chrysostomo* pro *inde vocatus* vel *vocatur*, reponendum putem *vocabar*, et melius legi *virtutum præmia*, quam *prælia.* In *Prudentio* nec *par erat*, nec *par eat*, sed *pareat.* De *Juvenco* et *Sedulio* rectius fortassis *Ambo pares lingua.* Noster pro *versibus ambo* habet *versibus hi sunt.* In *Leandro* advertere quem possit ἐπίθετον *Vates.* An *Vates* ob impensam Psalmodiae ecclesiasticae, quam scriptores memorant, operam? An, si quidem certum foret, Versiculos hos ab *Isidoro* compositos fuisse, *Vates* irrepsit pro *Frater?* De *Jureconsultis* rectius Noster:

Tolle hinc segnitiem, mentis fastigia (al. fastidia) *pone.*

Doctior inde redis pro *redit.* Distichon: *An dicis forte* &c. optime habet apud *Tamayum*, nobis hiat. Placet etiam illius lectio in sequenti: *percurrique omnia legis verba.* Sed *Medici* penitus illi defuere, qui etiam in Codice nostro pejus habent, quam apud *Floresium* et *Fabricium.* In Titulo *Pigmentarii* pro *Nos vilibus fruimur*, rectius Noster *Nos viles*, item pro *Quaeque opulentus Arabs* rectius *Quaeque ferunt Seres;* nam *Arabis* jam praecessit mentio, dein post versum: *Unguenti genera dum sint* &c. non male interserit:

Nil nardo et stacte suavius esse potest.
Unguenti genera dum constent florida plura;

mox, ubi de Odore Rosae et Violae supra citati legunt: *Cedet Elinus* &c. in Nostro scriptum est *Chelinus;* quo loco conjecturam premere nequeo. Novimus Χηλας graece etiam dici *Ungulas* animalium bisulcas, Ονυχας item eodem usurpari sensu; esse vero Ονυχα juxta *Dioscoridem* L. II. c. 10. etiam πωμα κογχυλιου Operculum seu testam Conchylii in *India* reperti in litoribus nardiferis, διο και ἀεωματιζει, inde aromaticum, atque istud Aroma innui videtur *Exod.* 30. 34. ubi hebraeum שחלת Interpres reddit *Onychem*, et *Eccli* 34. 21. ubi graecum Ονυξ Vulgata *Ungulam* interpretatur. Quid igitur si ex affinitate της Χηλης et του Ονυχος Adjectiva etiam ὀνυχινος et χηλινος significatu aequipollerent, et lectio nostra *Cedet Chelinus*, primigenia et sincera esset? Hexametrum demum postremum ita censerem legendum: